

reliqua haereditaria Regna et Ditiones nostrae ad supportandas publicas necessitates, Tributis seu Praestationibus suis sollicitè promptèque concurrerent, ita etiam hocce nostrum Croatiae Regnum, concurrentibus proportionatim Varasdiensi et Carlostadiensi Generalatibus, Bonisque Cameralibus, iam alioquin sat diu ab istiusmodi Contributione liberis, Viginti quatuor mille florenos parato aere persolveret, vel Militi eo iam destinato alimenta et Stipendia subministraret; Fidelitates autem Vestrae, tenore demisse Instantiae suae, praeterito Mense Februario Nobis jntroporrectae, Concursum parati aeris praeeligissent, talique pacto nihil aliud restaret, quam ut jnter Fidelitates Vestras et praefatos Generalatus quae-piam eatenus proportio eruatur. Hinc pro jnterim et usque dum magis exacta et accurata Proportio pro futuro eruta fuerit, clementer hisce ordinamus, ut Fidelitates Vestrae, inclusis etiam Bonis nostris Cameralibus, in gremio Earundem habitis, ad exolutionem pro currente hocce Militari Anno desideratae alias sat moderatae Viginti quatuor millium florenorum Summae, in tribus ejusdem Quintalitatibus, seu Quatuordecim mille quadringentis florenis Rhenensibus, citra ulteriorem moram realiter ac effective praestandam concurrant: residuis duabus Quintalitatibus, seu restantibus Novem mille sexcentis florenis dictis duobus Generalatibus impositis, in ijsdemque desumendis. In reliquo Fidelitates Vestras Gratia nostra Caesareo-Regia benigne complectimur. Datum in Ciuitate nostra Vienna Austriae, die undecima Mensis Aprilis, Anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo quarto.

Carolus m. p.

Ladislaus Adamus C. Erdödy m. p.

Episcopus Nitriensis.

Josephus Koller m. p.

*A tergo:*

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis jtem Egregijs et Nobilibus, nec non Prudentibus ac Circumspectis, N. N. Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae Universis Statibus et Ordinibus &c. Fidelibus Nobis dilectis.

Ex Officio. Varasdinum.

(L. S.)

Originale in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. 1724. Nr. 3.